

„valle quæ est in latere montis Oliveti, descensus sit Dominus ad iudicium: quod frivolum est, quia non in terra, sed in spatio huius aeris sedebit contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit; & sicut Joannes Chrysostomus dicit, homil. xxxi. in Matth. Angeli deferent ante eum signum Crucis: unde in Evangelio Matth. xxiv. 30. Veritas dicit: Et tunc apparebit signum Filii hominis &c. Josaphat autem interpretatur iudicium Domini. In vallem ergo Josaphat, idest iudicii Domini, congregabuntur omnes impii; justi vero non descendent in vallem iudicii, idest damnationis, sed in nubibus elevabuntur obviam Christo.“

De qualitate luminarium, & temporis post iudicium.

Veniente autem ad iudicium Domino in fortitudine, & potestate magna, sol, & luna dicuntur obscurari, non sui luminis privatione, sed superveniente majoris luminis claritate. Virtutes quoque cælorum, idest Angeli, dicuntur moveri, non metu damnationis, vel aliqua perturbatione pavoris, sed quadam admiratione eorum quæ viderint. Unde Job, cap. xxvi. 11. „Columnæ cæli pavent adventum ejus.“ (1) Ante diem vero iudicii sol, & luna eclipsim patientur, sicut Joel testatur, dicens, cap. 11. 31. „Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.“ Magnus vero dicitur propter magna quæ ibi fient. Cum autem factum fuerit cælum novum, & terra nova, tunc erit lux lunæ sicut lux solis testante Isaia, cap. xxx. 26. „Et lux solis septemplex, idest sicut lux septem dierum: quia quantum luxit sol in prima conditione septem dierum ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium. Minorata enim fuit lux solis, & lunæ, aliorumque syderum per peccatum primi hominis; sed tunc recipiet sol mercedem sui laboris, quia septemplex lucebit: & tunc non erit vicissitudo diei, & noctis, sed tantum dies. Unde Zacharias, cap. xiv. 7. „Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperis erit lux: quia tunc non erit varietas diei & noctis quæ modo est, sed continua dies & lux. Isaia tamen videtur dicere, quod tunc non luceat sol, vel luna, loquens de congregatione Sanctorum. „Non erit tibi, inquit cap. lx. 19. amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.“ Sed his verbis non negat solem, & lunam tunc lucere, sed significat his qui tunc erunt in æterna beatitudine, nullum lucis usum præstare: „quia, ut ait Hieronymus super eundem locum, (2) cæli, terræque, solis, atque lunæ nobis cessabit officium, & erit ipse Dominus lumen suis in perpetuum.“ Potest etiam intelligi illud Isaia ea ratione dictum, quia sol, & luna tunc non habebunt ortum, & occasum sicut nunc. (3) Unde Isidorus (b) illud Isaia quasi exponens, ait: „Post iudicium sol laboris sui mercedem suscipiet: unde Propheta, ubi supra, Lucebit septemplex, non veniet ad occasum nec sol, nec luna; (4) sed in ordine quo creati sunt, stabunt, ne impii in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum. Unde Habacuc, cap. 111. 11. Sol, & luna steterunt in ordine suo.“ Ecce aperte dicit, solem, & lunam tunc lucere, sed stabiliter permanere, ubi etiam significat infernum esse sub terra. Si vero quæritur, quis sit usus lucis solis, & lunæ tunc; fateor me ignorare, quia (5) in Scripturis non memini me legisse.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de divino iudicio quantum ad modum iudicii, & ad ministros iudicis, hic determinat ea quæ pertinent ad personam iudicis: & dividitur in partes duas. In prima enim parte ostendit in qua forma Christus ad iudicium veniens apparebit. In secunda determinat de his quæ iudicium circumstant, ibi: *Et putant quidam, Dominum descensurum in vallem Josaphat in iudicio.* Prima pars dividitur in duas. In prima ostendit quod Christus iudicabit in forma hominis. In secunda inducit similitudinem, scilicet quod Christus, secundum quod est homo, est causa resurrectionis corporum, ibi: *Et sicut dicitur Christus secundum formam servi iudicaturus propter causam præmissam; ita etiam dicitur suscitaturus corpora mortuorum secundum humanitatem.* Prima pars dividitur in duas. In prima determinat quod Christus in forma hominis iudicabit; in secunda quod in forma hominis gloriosa, ibi: *Sed cum in forma humana constet eum appariturum, quæritur &c.* Et putant quidam Dominum descensurum in vallem Josaphat in iudicio. Hic determinat ea quæ adventum

iudicis circumstant, & circa hoc duo facit. Primo determinat ea quæ concomitantur iudicis adventum; secundo ea quæ consequuntur, ibi: *Cum autem factum fuerit cælum novum, & terra nova, tunc erit lux lunæ sicut lux solis.* Circa primum duo facit: primo enim determinat locum adventus; secundo effectum iudicis venientis, ibi: *Veniente autem ad iudicium Domino... sol, & luna, dicuntur obscurari.*

QUÆSTIO I.

HIC est duplex quæstio. Prima est de ipso iudice. Secunda de mundi innovatione, quæ iudicium sequitur.

Circa primum quærentur quatuor.
Primo. Utrum Christus in forma hominis sit iudicaturus.
Secundo. Utrum in iudicio apparebit in figura gloriosa.
Tertio. Utrum possit apparere in natura Divinitatis aliquibus sine gaudio.
Quarto. De his quæ adventum iudicis circumstant.

AR-

(1) Sic in Glossa super Matth. xxiv. ubi locus ille Job annotatur. *Vulgata*: ad nutum ejus. (2) Nicolai. Cælo, terræque transeuntibus, solis, & lunæ nobis cessabit officium. (3) *Al. deest.* Unde. (4) *Al.* Sed in quo. (5) *Al.* in Scriptis.
nymus in eum locum non sic, sed id ad iudicium Domini pertinere ostendit conformiter ad significationem vocis *Josaphat* mox notandam. Appendix autem Chrysostomi ex hom. ejus de cruce, & latrone colligitur, non xxxi. vage. (b) Sequens appendix Isidori nomine prænotata in operibus ejus non occurrit, sed ut ex illo Glossa citat. Libr. creaturarum, super prædictum Isaia caput; quamvis modo non extet Liber ille.

ARTICULUS I.

Utrum Christus in forma servi sit iudicaturus.

III. P. quæst. lxx. art. 2. in fine corp. art.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Christus in forma servi non sit iudicaturus. Iudicium enim auctoritatem requirit in iudicante. Sed auctoritas super vivos, & mortuos est in Christo secundum quod est Deus: sic enim est (1) Dominus, & Creator omnium. Ergo in forma Divinitatis iudicabit.

2. Præterea. In iudice requiritur potestas invincibilis: unde Eccles. vii. 6. *Noli quarere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperè iniquitates.* Sed virtus invincibilis convenit Christo secundum quod est Deus. Ergo in forma Divinitatis iudicabit.

3. Præterea. Joan. v. 22. dicitur: *Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Sed honor æqualis non debetur Patri, & Filio secundum humanam naturam. Ergo non iudicabit secundum formam humanam.

4. Præterea. Daniel. vii. 9. dicitur: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dixerunt sedit.* Throni autem iudicariam potestatem designant; antiquitas autem de Deo dicitur ratione æternitatis, ut dicit Dionysius in Lib. de div. Nom. cap. x. Ergo secundum hoc iudicare convenit Filio prout est æternus: non ergo secundum quod homo.

5. Præterea. Augustinus dicit, & habetur in littera, quod per verbum Filii Dei fit animarum resurrectio. Sed iudicium illud finale magis pertinet ad animam quam ad carnem. Ergo magis convenit iudicare Christo secundum quod est Deus quam in quantum est homo.

Sed contra. Joan. v. 27. dicitur: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.*

Præterea. Job xxxvi. 17. dicitur: *Causa tua quasi impii iudicata est:* Glossa: „à Pilato:“ ideo iudicium causamque recipies: Glossa: „ut iuste iudices.“ Sed Christus secundum humanam naturam iudicatus est à Pilato. Ergo secundum humanam naturam iudicabit.

Præterea. Eius est iudicare cujus est legem condere. Sed Christus in humana natura apparens, nobis legem Evangelii dedit. Ergo & secundum eandem naturam iudicabit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod iudicium aliquod dominium in iudicando requirit: unde Rom. xiv. 4. *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* & ideo secundum hoc Christo competit iudicare quod dominium super homines habet, de quibus principaliter erit finale iudicium. Ipse autem est noster Dominus non solum ratione creationis, quia Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos, Psalm. xcix. 3. sed etiam ratione redemptionis, quod ei competit secundum humanam naturam: unde Rom. xiv. 9. *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, ut & vivorum, & mortuorum dominetur.* Ad præmium autem vitæ æternæ nobis creationis bona non sufficerent, nisi redemptionis beneficium adderetur, propter impedimentum

In IV. Sent. Tom. V.
(1) *Al.* Deus. (2) *Al.* admittitur. (3) *Al.* deest omnia. (4) *Al.* Christo. (5) *Al.* antiquitas. (6) *Vulgata* Christi.

quod naturæ creatæ supervenit ex peccato primi parentis. Unde cum iudicium illud finale ad hoc ordinetur ut aliqui admittantur ad regnum, aliqui excludantur à regno, conveniens est ut ipse Christus secundum humanam naturam, cujus redemptionis beneficio ad regnum (2) admittantur, illi iudicio præsideat: & hoc est quod dicitur Act. x. 42. *quod constitutus est à Deo iudex vivorum, & mortuorum.* Et quia per redemptionem humani generis non solum homines reparavit, sed etiam universaliter totam creaturam, secundum quod tota creatura reparato homine melioratur, ut habetur Coloss. 1. 20. *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt:* ideo non solum super homines, sed super universam creaturam Christus per suam passionem dominium promeruit, & iudicariam potestatem. Matth. ultim. 10. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

Ad primum ergo dicendum, quod in Christo secundum divinam naturam est auctoritas domini respectu universalis creaturæ ex iure creationis; sed in ipso est auctoritas domini quam per passionem promeruit, & est quasi auctoritas secularia, & acquisita; sed prima est naturalis, & æterna.

Ad secundum dicendum, quod quamvis Christus secundum quod homo non habeat à se invincibilem potestatem ex naturali virtute humanæ speciei; tamen ex dono divinitatis etiam in humana natura habet invincibilem potestatem, secundum quod (3) omnia sunt subjecta pedibus ejus, ut dicitur I. Corinth. xi. & Heb. 11. & ideo iudicabit quidem in humana natura, sed ex virtute Divinitatis.

Ad tertium dicendum, quod (4) Christus non suffecisset ad humani generis redemptionem, si parus homo fuisset: & ideo ex hoc quod secundum humanam naturam genus humanum redimere potuit, ac per hoc iudicariam potestatem consequutus est, manifeste ostenditur quod ipse est Deus, & ita æqualiter honorandus cum Patre, non in quantum homo, sed in quantum Deus.

Ad quartum dicendum, quod in illa visione Danielis manifeste exprimitur totus ordo iudicariæ potestatis: quæ quidem sicut in prima origine est in ipso Deo, & specialius in Patre, qui est fons totius Divinitatis: & ideo primo præmittitur quod (5) *antiquus dierum sedit.* Sed à Patre iudicaria potestas traducta est in Filium non solum ab æterno secundum divinam naturam, sed etiam in tempore secundum humanam, in qua meruit: & ideo subiungitur in visione prædicta: *Eccce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit; & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum.*

Ad quintum dicendum, quod Augustinus loquitur per appropriationem quamdam, ut videlicet reducat effectus quos Christus in humana natura fecit, ad causas aliquo modo consimiles. Et quia secundum animam sumus ad imaginem, & similitudinem Dei, secundum carnem autem sumus ejusdem speciei cum homine Christo; ideo ea quæ in animabus nostris Christus fecit, Divinitati attribuit; quæ vero in carne nostra fecit, vel facturus est, attribuit carni ejus: quamvis caro ejus, in quantum est Divinitatis organum, ut dicit Damascenus Lib. III. de Fid. orth. cap. xv. habeat etiam effectum in animabus nostris, secundum illud quod dicitur Hebr. ix. 14. *quod sanguis (6) ejus emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis:*

Qq
(1) *Al.* Deus. (2) *Al.* admittitur. (3) *Al.* deest omnia. (4) *Al.* Christo. (5) *Al.* antiquitas. (6) *Vulgata* Christi.

& sic etiam Verbum caro factum, est causa resurrectionis animarum. Unde etiam secundum humanam naturam convenienter est iudex non solum corporaliū, sed spiritalium bonorum.

ARTICULUS II.

Utrum Christus in iudicio apparebit in forma humanitatis gloriosa.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod Christus in iudicio non apparebit in forma humanitatis gloriosa. Joan. xix. 37. *Videbunt in quem transfixerunt*: Glossa interl. Beda: quia in ea carne venturus est in qua crucifixus est. Sed crucifixus est in forma infirma. Ergo in forma infirmitatis apparebit, non in forma gloriosa.

2. Præterea. Math. xxiv. 30. dicitur, quod *apparebit signum Filii hominis in caelo*, id est signum crucis; & Chrysostomus dicit hom. lxxvii. in Math. quod venit in iudicio Christus non solum vulnerum cicatrices, sed etiam ipsam mortem exprobratissimam ostendens. Ergo videtur quod non apparebit in forma gloriosa.

3. Præterea. Secundum hanc formam Deus in iudicio apparebit quæ ab omnibus conspici possit. Sed Christus secundum formam humanitatis gloriosam non poterit videri ab omnibus bonis, & malis: quia oculus (1) non glorificatus non videtur esse proportionatus ad videndum claritatem corporis gloriosi. Ergo non apparebit in forma gloriosa.

4. Præterea. Illud quod promittitur iustis in præmium, non conceditur iniustis. Sed videre gloriam humanitatis promittitur iustis in præmium. Joan. x. 9. *Ingrreditur, & egreditur, & pascua inveniet*, id est refectionem & in divinitate, & in humanitate, ut Augustinus exponit: (a) & Isai. xxxiii. 17. *Regem in decore suo videbunt*. Ergo in iudicio non apparebit omnibus in forma gloriosa.

5. Præterea. Secundum illam formam Christus iudicabit in qua iudicatus est: unde super illud Joan. v. *Sic & filius quos vult, vivificat*, dicit Glossa Augustini: In qua forma iniuste iudicatus est, iuste iudicabit, ut possit ab impiis videri. Sed iudicatus est in forma infirmitatis. Ergo & in eadem in iudicio apparebit.

Sed contra est quod dicitur Luc. xxi. 27. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*. Maiestas autem, & potestas ad gloriam pertinent. Ergo in forma gloriosa apparebit.

Præterea. Ille qui iudicat, debet eminere illis qui iudicantur. Sed electi qui iudicabuntur à Christo, corpora gloriosa habebunt. Ergo multo fortius iudex in forma gloriosa apparebit.

Præterea. Sicut iudicari est infirmitatis, ita iudicare est auctoritatis, & gloriæ. Sed in primo adventu, in quo Christus venit ad hoc quod iudicaretur, in forma infirmitatis apparuit. Ergo in secundo adventu, in quo venit ad hoc ut iudicet, apparebit in forma gloriosa.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Christus dicitur Dei, & hominum mediator, in quantum pro hominibus sa-

(1) Al. deest non. (2) Ineditis ex dictis. (3) Forte ab omnibus.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Non occurrit ista interpretatio nisi apud Hugonem Victorinum Lib. de Spiritu & anima cap. 1x.

tisfacit, & interpellat apud Patrem, & ea quæ sunt Patris, hominibus communicat, secundum quod dicitur Joan. xvii. xxii. *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*. Secundum hoc autem utrumque convenit ei quod cum utroque communicat extremorum. In quantum enim cum hominibus communicat, vices hominum gerit apud Patrem; in quantum vero cum Patre communicat, dona Patris transmittit ad homines. Quia ergo in primo adventu ad hoc venit ut pro nobis satisfaceret apud Patrem, in forma nostræ infirmitatis apparuit; quia vero in secundo adventu ad hoc venit ut iustitiam Patris in homines exequatur, gloriam demonstrare debet, quæ inest ei ex communiōe ad Patrem: & ideo in forma gloriosa apparebit.

Ad primum ergo dicendum, quod in eadem carne apparebit, sed non similiter se habente.

Ad secundum dicendum, quod signum crucis apparebit in iudicio non ad indicium tunc existentis infirmitatis, sed præteritæ, ut per hoc iustior eorum condemnatio appareat qui tantam misericordiam neglexerunt, & eorum præcipue qui Christum iniuste persecuti sunt. Cicatrices autem quæ in eius corpore apparebunt, non pertinebunt ad aliquam infirmitatem, sed erunt indicia maxime virtutis, qua Christus per passionis infirmitatem de hostibus triumphavit. Exprobratissimam etiam mortem ostendet, non sensibilibus oculis eam ingerens, ac si tunc eam pateret; sed ex his quæ apparebunt, scilicet indicia præteritæ passionis, homines in recognitionem præteritæ mortis adducet.

Ad tertium dicendum, quod corpus gloriosum habet in potestate sua ut se demonstret, vel non demonstret oculo non glorioso, ut patet (2) ex his quæ supra xliv. dist. quæst. 11. art. 4. dicta sunt; & ideo in forma gloriosa Christus (3) ab hominibus poterit videri.

Ad quartum dicendum, quod sicut amici gloria est delectabilis; ita gloria, & potestas eius qui odio habetur, maxime contristat: & ideo sicut visio gloriæ humanitatis Christi erit iustis in præmium, ita inimicis Christi erit in supplicium: unde Isai. xxv. 11. *Videant, & confundantur zelantes populi, & ignis, scilicet invidia, hostes tuos devoret*.

Ad quintum dicendum, quod forma ibi accipitur pro natura humana, in qua iudicatus est, & etiam iudicabit; non autem pro qualitate naturæ, quæ non erit eadem in iudicante, scilicet infirma, quæ in iudicato fuit.

ARTICULUS III.

Utrum Divinitas à malis sine gaudio videri possit.

1. **A**D tertium sic proceditur. Videtur quod Divinitas à malis sine gaudio possit videri. Constat enim quod impii manifestissime cognoscant Christum esse Deum. Ergo Divinitatem eius videbunt; & tamen de visione Christi non gaudebunt. Ergo Divinitas sine gaudio videri potest.

2. Præterea. Voluntas impiorum perversa non magis adversatur humanitati Christi quam eius Divinitati. Sed hoc quod videbunt gloriam humanitatis, cedit eis in penam, ut dictum est. Ergo multo fortius si Divinitatem viderent, magis tristarentur quam gauderent.

Præ-

3. Præterea. Quæ sunt in affectu, non de necessitate sequuntur ad ea quæ sunt in intellectu: unde Augustinus dicit: *Præcedit intellectus, & sequitur tardus, aut nullus affectus*. Sed visio ad intellectum pertinet, gaudium autem ad effectum. Ergo poterit esse Divinitatis visio sine gaudio.

4. Præterea. Omne quod recipitur in aliquo, recipitur per modum recipientis, & non per modum recepti. Sed omne quod videtur quodammodo in vidente recipitur. Ergo quamvis Divinitas in se sit delectabilissima, tamen visa (4) ab illis qui sunt tristitia absorpti, non delectabit, sed magis contristabit.

5. Præterea. Sicut se habet sensus ad sensibile, ita se habet intellectus ad intelligibile. Sed ita est in sensibus quod palato non sano pena est panis, qui sano est suavis, ut dicit Augustinus Lib. VII. Confess. cap. xvi. & similiter accidit in aliis sensibus. Ergo cum damnati habeant intellectum indispositum, videtur quod visio lucis increate magis afferet eis penam quam gaudium.

Sed contra est quod dicitur Joan. xvii. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum*; ex quo patet quod essentia beatitudinis in Dei visione consistit. Sed de ratione beatitudinis est gaudium. Ergo Divinitas sine gaudio videri non potest.

Præterea. Essentia ipsa Divinitatis est essentia veritatis. Sed unicuique est delectabile, videre verum: unde & omnes homines natura scire desiderant, ut dicitur in principio Metaph. Ergo Divinitas sine gaudio videri non potest.

Præterea. Si aliqua visio non semper est delectabilis, convenit eam quandoque esse tristabilem. Sed visio intellectiva nunquam est contristabilis: quia delectationis quæ est in intelligendo, non opponitur aliqua tristitia, ut dicit Philosophus VII. Ethic. cap. xii. & I. Topic. cap. xiii. Cum ergo Divinitas non possit videri nisi per intellectum, videtur quod Divinitas sine gaudio videri non possit.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in quolibet appetibili, vel delectabili duo possunt considerari; scilicet id quod appetitur, vel est delectabile, & id quod est ratio appetibilitatis, vel delectabilitatis in ipso. Sicut autem, secundum Boetium in Lib. de hebdom. id quod est, habere aliquid præter quam quod ipsum est, potest; ipsum vero esse nihil aliud præter se habet admixtum: ita id quod est appetibile, vel delectabile, potest habere aliquid aliud admixtum, unde non sit delectabile, vel appetibile; sed id quod est ratio delectabilitatis, nihil habet admixtum, vel habere potest, propter quod non delectabilis sit, vel appetibilis. Res igitur quæ sunt delectabiles per participationem bonitatis, quæ est ratio appetibilitatis, & delectabilitatis, possunt apprehensa non delectare; sed id quod per essentiam suam est bonitas, impossibile est quod eius essentia apprehensa non delectet. Unde cum Deus essentialiter sit ipsa bonitas, non potest Divinitas sine gaudio videri.

Ad primum ergo dicendum, quod impii manifeste cognoscent Christum esse Deum, non per hoc

In IV. Sent. Tom. V.

(4) Al. ab aliis. (5) Al. subveniente. (6) Al. ante. (7) Al. à Philosophis. Ex EDIT. P. NICOL. (a) In Hieronymo nihil tale occurrit, ex quo tamen Petrus Comestor in historia scholastica, & Lyranus in Glossa super prædictum Lucæ locum longe aliis verbis, & alia serie refert, nempe quod primo die erigetur mare super altitudines montium quadraginta cubitis, stans quasi murus: secundo tantum descendet, ut vix videri possit: tertio marina belluæ apparentes super mare dabunt rugitus usque ad cælum: quarto ardebit mare, & omnes aquæ: quinto herba, & arbores dabunt vorem sanguineum &c.

quod Divinitatem eius videant, sed per manifestissimam Divinitatis indicia.

Ad secundum dicendum, quod divinitatem, secundum quod est in se, nullus potest odio habere, sicut nec aliquis potest odio habere ipsam bonitatem; sed quantum ad aliquos, Divinitatis effectus dicitur ab aliquibus odio haberi, in quantum scilicet aliquid agit, vel præcipit quod est contrarium voluntati: & ideo visio Divinitatis nulli potest esse non delectabilis.

Ad tertium dicendum, quod verbum Augustini est intelligendum quando id quod apprehenditur per intellectum præcedentem, est bonum per participationem, & non per essentiam, sicut sunt omnes creature: unde potest in eis esse aliquid quare affectus non moveatur. Similiter etiam in via Deus cognoscitur per effectus, & intellectus non attingit ad ipsam essentiam bonitatis eius: unde non oportet quod affectus intellectum sequatur, sicut sequeretur, si essentiam eius videret, quæ est ipsa bonitas.

Ad quartum dicendum, quod tristitia non nominat dispositionem, sed magis passionem; omnis autem passio à contraria causa fortiori (5) superveniente tollitur, & non eam tollit: & ideo tristitia damnatorum tolleretur, si Deum per essentiam viderent.

Ad quintum dicendum, quod per indispositionem organi tollitur proportio naturalis ipsius organi ad objectum quod natum est delectare, & propter hoc delectatio impeditur; sed indispositio quæ est in damnatis, non tollit naturalem proportionem qua sunt ordinati ad divinam bonitatem, cum imago semper in eis maneat: & ideo non est simile.

ARTICULUS IV.

Utrum adventum Domini ad iudicium præcedent aliqua signa.

1. **A**D quartum sic proceditur. Videtur quod adventum Domini ad iudicium non præcedent aliqua signa. Quia I. Thess. v. 3. *Cum dixerint, Pax, & securitas, repentinus eis superveniet interitus*. Sed non esset pax, & securitas, si homines per signa præcedentia tererentur. Ergo signa non præcedent illum adventum.

2. Præterea. Signa (6) ad manifestationem ordinantur. Sed adventus eius debet esse occultus: unde I. Thess. v. 2. *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*. Ergo signa non debent ipsum præcedere.

3. Præterea. Tempus primi adventus fuit præcognitum (7) à Prophetis; quod non est de secundo adventu, ut supra dictum est. Sed primum adventum Christi non præcesserunt aliqua huiusmodi signa. Ergo nec secundum præcedent.

Sed contra est quod dicitur Lucæ xxi. 25. *Erunt signa in sole, & luna, & stellis*.

Præterea. Hieronymus (a) ponit quindecim signa præcedentia iudicium, dicens, quod primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super montes. Secundo, omnia æquora prostrerentur in profundum, ita ut vix videri poterunt. Tertio, redigentur in antiquum statum. Quarto, belluæ omnes, & alia quæ

Q92 mo-